

LIPSIA M

Lacrymis inundatam

ob acerbissimum ex hac vita discessum

VIRI MAGNIFICI,

PRÆ-NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCEL-
LENTISSIMIQUE

DOMINI

JOH. ALEXANDRI
CHRISTII,

Potentissimi Regis & Electoris Saxoniæ
Consiliarii, Jcti Celeberrimi, Reip. Lipsiensis Con-
fulis gravissimi, Scabini, & Templi Scholæque
ad Div. Thomæ Præpositi longe meritissimi,

Ipsò exequiarum die V. Septembr.

ANNO 1707.

In immortalem PATRONI Sui

memoriam

mœstus repræsentare debuit

JOHANNES HENRICUS KONHARDUS,

J. U. Stud.

LIPSIAE,

Typis Joh. Andr. Fschau.



Icite, Pierides, quæ tanti causa doloris
DMoenia Lipsiados tangat, quæ cura parentis
Almæ cum gemitu tristissima pectora verlet?
Lugubres etenim mœstissima Lipsia vestes
Sumit, & attonito similis de pectore tristi
Extollit gemitus, largo manante per ora
Pallida fonte, tremor dum quassa per ossa cucurrit.
Ipsa tamen mittit nimio devicta dolore
Has querulas voces, rumpitque silentia dictis:
Effluat ex oculis, inquit, largissimus imber,
Et conturbatos Lacrymarum flumine vultus
Irrorate, pii cives, queis cura potentum;
Luctificoque sono meditetur fistula carmen.
Nam cadit ante diem, proh quæ durissima fata!
Vir pietate gravis, cuius prudentia totum
Sub famæ ductu fertur laudata per orbem;
CHRISTIUS est nomen, quo non est justior alter.
Annon res vestras justo moderamine rexit,
Fas & jura sequens, odiis injusta repellens?
Ac veluti genitor soboli succurrere caræ
Rebus in afflictis & pressæ forte sinistra
Affolet auxilio patrium testatus amorem:
Sic vos, o cives miseri, prudentibus ipso
Tempore consiliis sub tempestate furenti
CHRISTIUS erexit, Consul venerandus in urbe.
Vix, fusis lacrymis, mœrentia dicta locuta
Urbs antiqua fuit, sic cœpit curia fari:

Me

Me miseram, quæ sæva meum tetigere cacumen
Fulmina, quique iætus infligunt vulnera acerba,
Ut vix ulla levent tantum medicamina morbum?
Funereo consperge caput jam pulvere tactum,
Dumque cadit Consul, ferales sume Cupressos,
Atque sepulchrales tædas incende peremto,
Et, quo deplores vere Caput urbis ademtum,
Indue funestum pullæ pietatis amictum.
Scilicet est pietatis opus viduata maritum
Defleat ut fidum contundens pectora palmis.
Eheu! quo pietas, heu quo vigilantia pernox,
Consul, abit? Cur ante diem pia lumina claudis?
Publica nonne salus, pullos induta colores,
Te retinere valet, vigili qui cuncta regebas
Lumine, ne ferret Respublica damna nociva?
Sicut enim curvo discindens æquora vasta
Ære gubernator circumspicit omnia recte,
Ne cladem sit passa ratis, ne in summa pericla
Ducta, procellosis cum tempestate coortis
Flatibus; in medio prudenter contrahit ipsa
Vela mari, quo devitet discrimina mortis:
Sic quoque talis erat Nauclerus **CHRISTIUS** iste.
Cum res Lipsiacas dubio fluitare profundo,
Jactarique fero pelago, spumantibus undis,
Cerneret, intrepide contraxit turgida vela,
Ne digesta nimis vento rumpantur ab ipso,
Et scopulis illisa ratis mergatur in undis.
Scilicet est arcere malum, casusque sinistros
Consulis, imperium ne immergat funere amaro.
Cum gens Marticolum Svecorum mœnia nostra
Tangeret & cladem Bellona minata fuisset;
Urbis librabat sapienter summa pericla,
Et pertractabat patriis ingentia rerum

Pon-

Pondera consiliis. Animi non munera magni
Virtutes raras referam, non cætera dona,
Qveis nunquam moritura dedit sua nomina terris.
Ast non sola pias lacrymas, o curia, fundis,
Nec tu sola doles, clarissima Lipsia, mortem;
Eheu per madidas decurrant flumina fletus
Nostra genas, tacita cum casum mente revolvo!
Nempe cadit spes certa cadit, fiducia rerum
Occidit heu! columenque perit magnusque Patronus,
Qui fuerat fidus testis, cum pectora primis
Commaculata malis purgaret lotio sacra.
Sed qvid deplorasse juvat, frenasse dolorem
Jam sapientis erat, qvia **CHRISTIUS** astra suprema,
Æthereasque tenet sedes & regna Polorum,
Hic nullos sentit luctus, nullosque dolores,
Sed numero angelico sociatus gaudia vera
Percipit, æternum fruiturus forte beata.
Molliter offa cubent, sic nos sub fine precanur,
Marmoreisqve damus verba insculpenda sepulchris:
Dum Plissa undarum cursu devolvet arenas,
CHRISTIUS æterna fama, meritisqve vigebit.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

This image shows a blank, lined page with three vertical columns. The top two columns are wider and have horizontal ruling lines, while the third column on the right is narrower. A barcode is located at the bottom of the page.

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0228889

